



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano
accommodata**

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Paderbornæ, 1753

Benedictio panis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36023

V. Dominus vobiscum. **R.** Et cum Spitu tuo.

Oremus.

Subveniat, quæsumus Domine, tuæ benedictionis gratia huic o-
vorum creaturæ, ut cibus salubris fiat fidelibus tuis, in tuarum gra-
tiarum actione sumentibus, ob resurrectionem Domini nostri Jesu
Christi, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. **R.** Amen.
Aaspergantur aqua benedicta.

Benedictio Panis.

V. Adjutorium &c. **R.** Dominus vobiscum &c.

Oremus.

Domine Iesu Christe Panis Angelorum, Panis vivus æternæ vitæ, be-
nedicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes
in deserto, ut omnes ex eo gustantes, inde corporis & animæ percipient
sanitatem. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. **R.** Amen.
Aaspergat aqua benedicta.

Benedictio Panis alia

V. Adjutorium &c. **R.** Dominus vobiscum &c.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua sancta spirituali benedictione: ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, atq; contra omnes morbos, & universas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, panem vivum, qui de cœlo descendit. & dat vitam & salutem mundo: & tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Mox aspergat aqua benedicta.

Benedictio novorum Fructuum.

V. Adjutorium &c. Dominus vobiscum &c.

Oremus.

Benedic Domine hos novos fructus N. & præsta, ut qui ex eis in tuo
sancto nomine vescentur, corporis & animæ salute potiantur. Per
Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio Herbarum in festo Assumptionis B. Mariæ Virginis

Sacerdos indutus alba, manipulo & stola absq; casula, ante summam missam, habens
coram se herbas benedicendas, dicat signando se signo S. Crucis.

V. Adjutorium nostrum &c. **R.** Qui fecit cœlum & terram.

V. Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, qui ab initio fecisti hominem ad
imaginem tuam, & condidisti cœlum & terram, Solem & Lunam,
Stellas, & omnia coelestia & terrestria. Tu Domine dominaris potestati
maris, tu habes potestatem abyssi magnæ, tu condidisti omnia Elementa:

tu